



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Cap. VII. De Peccatis Capitalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

cognoscit omnia mala, & obscœna. Imò hæc cognitio sæpe est necessaria, vel utilis Confessario, aut Doctori. Delectatio autem specificatur à suo objecto directo, & immediato. Quare si cognitio, seu cogitatio sit vana, vel inutilis, delectatio de ea erit venialis. Si verò cognitio sit utilis, aut necessaria, delectatio de ea per se non erit culpa. S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8.

Hinc licet gaudere de scientia rei obscœnæ ob bonum finem, putà ad fungendum officio Confessarii, Medici. At cognitio rei obscœnæ ex affectu veniali, putà ex curiositate, etiam absente delectatione, & periculo omni, est venialis; mortalis verò, si sit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo gravi, aut referatur ad finem graviter malum.

CAPUT VII.

De Peccatis Capitalibus.

Not. Peccata Capitalia sunt ea, quæ non solum sunt per se peccata, sed etiam radix, & causa impulsiva multorum aliorum peccatorum. Septem numerantur à Theologis post S. Gregorium, nimirum Superbia, Avaritia, Gula, Luxuria, Ira, Invidia, Acedia.

AR.

ARTICULUS I.

De Superbia.

Q. I. *Quid est, & quale Peccatum?*

Resp. I. Superbia est inordinata cupiditas propriæ excellentiæ, & celsitudinis. Ejus actus sunt 1. Inordinata sui æstimatione, qua quis se ipsum æstimat supra id, quod est, & afficitur erga se ipsum tanquam aliquid excellentius, quam revera sit. 2. Finem suum ultimum in propria excellentia constituere; & virtutem, scientiam, & alia ad excellentiam spectantia non appetere propter Deum saltem ultimè, nec ad ejus gloriam referre, sed unicè, & ultimè propter suam satisfactionem, ac excellentiam. 3. Ab aliis velle magni fieri, honorari, laudari: si non faciant, dolere, irasci. 4. Judicio proprio pertinaciter adhærere. 5. Alios, & aliena parvi facere, se, & sua plaris æstimare, vel velle videri singulariter habere, quæ possidentur. 6. Si putes te habere bona, quæ non habes, vel majora quàm habeas, aut in eo ponas excellentiam, ubi non est, & inde te extollas. 7. Si bona tua æstimes quasi ex te ipso habeas, & non à Deo. 8. Si bona tua accepta quidem à Deo credas, sed ea æstimes tanquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non

referas. Tamen ad superbiam (ut notat S. Thom.) non est necesse, ut quis revera judicet se bona à se ipso habere, aut propriis meritis absque Dei gratia obtinuisse, (hoc enim esset hæreticum;) sed satis est, quòd consideratis bonis suis sine relatione ad Deum, perinde se gerat, & animo se extollat, ac si non à Deo haberet. 9. Nolle se subdicere suis Superioribus, quasi id sit indignum. 10. Nolle etiam se Deo, ejusque præceptis submittere, id æstimans tanquam contrarium dignitati suæ, & volens suo arbitratu vivere, quasi Deo non indigeat, aut ab eo non dependeat.

Resp. II. Superbia ex genere suo est peccatum mortale. Nam ad Rom. 1. *Superbi, & elati numerantur inter eos, qui digni sunt morte.* & Prov. 8. *Deus arrogantiam, & superbiam detestatur.* Ratio est, quia superbia adversatur charitati Dei, ejus honori, majestati, & excellentiæ. Superbia est etiam radix omnis peccati, ex Eccli. 10. *initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* Et ex S. August. l. 2. de peccat. merit. c. 17. *Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.*

Hinc superbia perfecta est semper culpa mortalis, ut 1. Quando præ superbia quis subdici renuit Deo, vel Superioribus, eorumve præceptis etiam in re minima. 2.

Cum

Cum quis bona sua æstimat à se ipso habere, vel esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita, 3. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis quæritur.

Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei, & aliorum contemptu, nec subijci Superioribus renuens, solum plus iusto se effert, agnoscendo se omnia Deo debere, est venialis: quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati.

Q. 2. Quenam sunt superbia remedia?

Resp. Generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjuncta, speciatim verò hæc.

1. Sæpe humilitatem à Deo petere.

2. Sæpe considerare suum nihilum, suam effrœnatam ad malum propensionem, suas pravas cupiditates, sua peccata, vitia, defectus, miserias tum corporis, tum animæ infirmitatem, impotentiam sine Dei gratia actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia sunt instar nihili; omnia, quæ habemus esse à Deo, nostra merita esse illius dona. *Qui te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. ad Cor.

4. Ex horum consideratione complacentiam sui coërcere, se ipsum contemnere;

& ex sui contemptu humilitationes, & quasvis afflictiones tanquam sibi propter peccata debitas, libenter pro Christo suscipere, & sustinere,

3. Meditari superbix pœnas, & humilitatis præmia. 1. Pet. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* & Mat. 23. *qui se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item, & maxime exempla Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis, & opprobriis satiatus est, quemque imitari debemus: *frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri, ferma esset Discipuli; & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.* Ait S. Leo M. Ser. 5. de Nativ.

4. Omnia sua bona, ac opera ad Dei gloriam sapissime actu referre, & crebro exercere actus internos, ac externos humilitatis, atque opera, ac ministeria vilia, & abjecta obire, infimum locum eligere, hospitalia visitare, pauperibus, & ægrotis ministrare, &c.

Q. 3. *Quenam sunt filia superbia, hoc est vitia, qua à superbia tanquam radice oriuntur?*

Resp. Tres sunt, scilicet præsumptio, ambitio, & vana gloria.

Præ.

Præsumptio. hîc est appetitus inordinatus faciendi aliquid facultatem suam excedens. Mortalis est 1. ratione gravis injuriæ DEI, ut cùm Lucifer dicere præsumpsit: *ascendam, & similis ero altissimo.* 2. Ratione gravis damni proprii, vel alioni, aut periculi talis damni: ut si præsumas exercere sine sufficienti peritia officium Medici, Advocati, Judicis, Confessarii, &c. 3. Cùm usurpatur dignitas, vel potestas, vel officium sæculare, aut Ecclesiasticum: ut si audias confessiones, aut exerceas actum ordinis sine potestate legitima. De præsumptione opposita spei dicitur infra.

Ambitio. Est inordinata cupiditas honoris, vel dignitatis, aut potentia. Est autem inordinata. 1. Si appetas honorem, quem non mereris, vel majorem, quàm merearis; vel ob rem, qua cares, ut si honorari cupias ob doctrinam, nobilitatem, virtutem, &c. qua cares: item si aspire ad officium, munus, quo es indignus. 2. Si appetas honorem propter se, non illum referendo ad DEI gloriam, vel utilitatem proximi. 3. Si appetas honorem ex re illicita v. g. duello. 4. Si nimio affectu honorem appetas.

Ambitio sæpe mortalis est, nempe vel ratione materiae graviter malæ, vel damni gravis, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel medii graviter illiciti,

quod adhibetur, vel finis mortalis, ad quem refertur, vel affectus graviter inordinati, ut si quis paratus sit peccare mortaliter ad honorem, vel dignitatem obtinendam, aut tuendam.

Vana gloria. Est inordinata cupiditas humanæ existimationis, ac laudis. Proprius ejus actus est inordinata manifestatio propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Est autem inordinata illa cupiditas, dum gloria quæritur ex simulata doctrinæ, peritiæ, aut virtutis excellentia, vel ex rebus malis, aut indifferentibus, aut major, quam par sit, aut præcisè propter se, non referendo illam ad honorem DEI.

Vana gloria mortalis est eodem modo, quo dixi de ambitione, ut si quis velit gloriam, vel laudes admittat de re mortali, v. g. fornicatione, vindicta gravi, &c. Si in gloria humana ponatur finis ultimus, omnia ad illam referendo &c. Sæpe tamen est solum venialis, quia sæpe non graviter repugnant charitati, nec gravem continet inordinationem.

Cæterum debitum honorem, gloriam, laudem, favorem hominum, non propter se, sed propter honorem DEI, vel bonum proximi, acceptare, aut moderatè expetere non est peccatum, sed actus charitatis, ex S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1. quamvis vana gloria sit filia superbiæ, tamen à Sancto Thoma post S. Gregorium numeratur
inter

inter peccata capitalia, eò quòd ex ea septem alia immediatè oriuntur, nimirum inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & inventio novitatum.

Inobedientia, Formalis scilicet, & specialis est peccatum. quo violatur præceptum Superioris ex contemptu, sive quia præceptum est. Ex communi semper est mortalis, etiam in re minima: quia tunc contemnitur Superior ut Superior, & Minister DEI, ideòque DEUS ipse contemnitur, juxta illud Luc. 10. *qui vos spernit, me spernit.* Et quia tunc quis ita affectus est, ut nullo modo velit obsequi Superiori, quidquid præcipiat.

Violatio autem præcepti non ex contemptu, sed ex alio modo, putà ob delectationem, vel utilitatem, aut difficultatem, est ex S. Thoma inobedientia generalis pertinens ad aliam speciem peccati. Estque mortalis, vel venialis prout præceptum, quod violatur, sub mortali, vel veniali obligat. Atque etiam prout motivum graviter, vel leviter malum est, cum actus participet malitiam finis utpote per eum voliti.

Jactantia, qua quis verbis inordinate prædicat de se id, quod gloriam, ac laudem apud alios parit, vel falso parere putat, vel gloriatur de peccato. *Quando que est peccatum veniale, quando scilicet aliquis*
de

de se talia jactat, quæ neque sunt contra DEUM, neque contra proximum. ait Sanctus Thom. q. 112. a. 2. Est verò mortalis culpa. 1. Siquis de se proferat aliquid contra gloriam DEI, ut illud Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, DEUS ego sum.* 2. Ratione gravis scandali, damni, contumeliæ, vel contemptûs proximi. Si sit de actione mortaliter mala: quia includit approbationem actûs mali, quæ eandem cum illo speciem habet; & quia sicut laudare opus mortale, v. g. duellum, ita & de illo gloriari est mortale, opponiturque eidem virtuti opus illud vetanti: nam quævis virtus non solum obligat ad actum, quem directè præcipit, sed etiam indirectè obligat, & vetat ne ipsa contemnatur, aut irreverenter tractetur: contemnitur autem virtus, cum quis gloriatur de ejus violatione, vel cum ejus violati laudatur in alio. Hinc glorians de peccato aliquo, vel illud laudans: contrahit speciem talis peccati. *Sanchez & alii.*

Hypocrisis. Est simulatio virtutis, hoc est, factum, quo quis mentitur se virtutem, seu sanctitatem habere, quam non habet, vel majorem, quam habeat. Unde semper est peccatum saltem veniale, cum sit mendacium facti. Sed mortale est, si habeat conjunctum, vel contemptum virtutis, vel damnum proximi grave; item si simuletur sanctitas ob finem graviter repugnans.

gnantem charitati DEI, aut proximi, puta ut falsam doctrinam disseminet, ut decipiat proximum in re gravi, vel ut adipiscatur Beneficium Ecclesiasticum, aut quodvis officium, etiam sæculare, quo indignus est. Si autem absit contemptus virtutis, ac damnum proximi, vel honoris DEI, nec finis intentus repugnet graviter charitati, erit solum veniale. Ita *S. Thom. q. 111. a. 4.*

Pertinacia, est perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam. Mortalis est quando illa veritas ad fidem, vel bonos mores, pietatem, pacem, bonum grave proximi pertinet; nam materia gravis est.

Inventio, seu præsumptio novitatum est, cum quis ex inani gloria præsumit nova excogitare. Novitatum inventio, vel usus mortalis est, si Fidei, bonis moribus, pudicitia adversetur, vel pariat scandalum, aut grave damnum proximo. De aliis dicitur in tract. de Charit.

Vanæ gloriæ remedia eadem sunt, quæ superbiæ, quibus adde actus oppositos vitii, quæ ab illa oriuntur.

ARTICULUS II.

De Avaritia.

Q. 1. **Q**uid est Avaritia, & quale peccatum?

Resp.

Resp. Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum, hoc est, pecuniæ, & rerum pecuniâ æstimabilium, ut sunt agri, domus, pecora, &c. Mortalis est 1. Cùm in divitiis finis ultimus ponitur, ex ad Ephel. 5. *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei.* 2. Cùm quis ad divitias acquirendas, augendas, vel conservandas adhibet media graviter illicita, & injurias; vel paratus est peccare mortaliter, aut ita peccat, v. g. injustè alienum accipiendo, retinendo, eleemosynas debitas omitendo, &c. Hinc illud Eccli. 10. *Avaro nihil est scelestius ... nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.* Est peccatum capitale, quia est fons & origo multorum aliorum. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, qua mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. ad Tim. 6.

Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen præfert earum amorem amoris divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, sic avaritia est peccatum veniale. ait S. Thom. 2. 2. q. 118. a. 4. Præcipua avaritiæ remedia sunt oratio, meditatio bonorum cælestium, periculi,

ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis, &c. crebra, & larga eleemosynarum largitio, resignatio in jactura bonorum, &c.

Q. 2. Quanam sunt filia Avaritia?

Resp. Ex S. Gregor. sunt hæc 1. Obduratio cordis contra misericordiam: miseris, & egenis non compatiendo, non opitulando, eos objurgando, debita durè exigendo à debitore, qui non est solvendo, &c. Mortalis est, quoties ex ea præceptum eleemosynæ, vel charitatis graviter violatur.

2. Inquietudo cordis, quæ est inordinata, & anxia applicatio mentis ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum inani timore, ne non acquirantur, aut ne amittantur. Mortalis est, quando retrahit à spiritualibus, vel aliis officiis, ad quæ graviter obligamur; vel cum quis divinæ providentiæ diffidit.

3. Violentia, qua res aliena pervim injustam, usurpatur. Mortalis est ex genere suo contra justitiam.

4. Fallacia, sive dolus, qui est alterius deceptio, sive verbis, sive factis, & Fraus, quæ est astuta deceptio proximi per sola facta. Utraque est ex genere suo mortalis contra justitiam, & sæpè confunditur.

5. Perfidia, qua fides in promissis, patetis,

ctis, & rebus creditis violatur. Mortalis est in re gravi contra iustitiam.

6. Proditio, quæ est manifestatio rei alicujus, vel personæ, in proximi damnum contra fidem ei debitam. Mortalis est ex genere suo contra charitatem, & iustitiam; & contingit tripliciter. 1. Circa personam, quo modo Judas Christum prodidit. 2. Circa res, ut si miles declararet hosti modum capiendi arcem; vel si alterius vestem, pecuniam, &c. absconditam prædoni ostendas. 3. Prodendo alterius secretum suæ fidei commissum.

ARTICULUS III.

De Gula.

Q. I. Quid est Gula, & quale peccatum?

Resp. I. Gula est inordinatus appetitus, vel usus cibi, aut potûs. Unde opponitur abstinentiæ, & sobrietati. Sumitur aliquando strictiùs prout continet inordinationem solùm in cibo, & potu non ebriante. Ex S. Gregorio committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita, id est, pretiosiora, quàm conveniat tuo statui, vel necessitati. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si
ni

nimis exquisitè præparata. Juxta hunc
versum.

*Præpropere, lautè, nimis, ardentè, stu-
diosè.*

Quod spectat ad qualitatem cibi, & po-
tûs, hæc debet esse accommodata statui,
conditioni, facultati, infirmitati, necessi-
tati personarum, & loco, ac tempori.

*De quantitate autem cibi, & potûs non
potest dari una certa regula omnibus se-
cundùm eandem mensuram. Sed plus, &
minus exigitur secundùm varietatem com-
plexionum, & fatigationum. Unus etiam,
& idem plus indiget uno tempore, quàm
alio, secundùm dispositionem sui corporis
... tantùm ergo potest, & debet quis co-
medere, & bibere, quantum credit se in-
digere ad sustentationem, & executio-
nem eorum, quæ sibi incumbit agenda;
ita ut non usque ad nauseam sumat, sed
cum aliquali adhuc appetitu finem faciat.
Cum autem ex delectatione cibi, vel potûs
plus sumit, quàm sibi dicat conscien-
tia opportunum, tunc peccat. Ait S. An-
tonin. p. 2. Tit. 6. c. 1. q. 5. peccat inquam,
etiamsi vilissimi sint cibi, & potus, ut pau-
lò ante notat post S. August. quil. 10. Conf.
c. 31. ait: hoc me docuisti, quemadmo-
dum medicamenta, sic alimenta, sumptu-
rus accedam.*

*Resp. II. Peccatum gulæ mortale est in
multis casibus, unde ad Gal. 5. comessa-*

Tom. I,

T

tio-

tiones inter opera excludentia à regno Dei numerantur. Et 1. quidem ratione affectûs graviter inordinati, quo quis ita inhæret oblectationibus cibi, vel potûs, ut in iis finem suum ultimum constituat juxta illud ad Phil 3. *quorum Deus ventres est.* Idque quamvis solum interpretativè, ut cum quis ex affectu gulæ paratus est peccare mortaliter: nam hoc ipso, quòd mortaliter peccet, Deum propter voluptatem deserit, hancque illi suo facto præfert. Item cum quis nil quærit aliud, quàm edendi, & bibendi voluptatem, ad id cogitationes, ac curas ferè omnes referendo, nam is vitæ finem in delectatione cibi, vel potûs ponit. 2. Si quis bibat ad ebrietatem. 3. Si quis ob solam voluptatem cibo, & potu usque ad vomitum scienter se ingurgitat; nam hoc, etiam seclusis scandalo, & ebrietate, continet gravem inordinationem, ac periculum lædendi sanitatem, & graviter reprehenditur ab Isaia c. 28. *Omnes mensæ repleta sunt vomitu, sordiumque.* Idem dic, si quis postquam multum comedit, ad vomitum se excitet, ut iterum ob solam voluptatem edat: nam hoc graviter dedecet naturam rationalem præsertim elevatam, estque plusquam bestiale. 4. Ratione gravis nocementi, quod quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, aut creditoribus infert, sanitatem corporis graviter lædendo, se reddendo impotem ad solvenda debita, filios,

filios, vel filias in statu convenienti non collocando; item non opitulando gravem necessitatem patienti; aut si inde notabiliter ineptus fiat ad functiones aliquas, ad quas sub mortali tenetur, &c. 5. Siquis, saltem extra necessitatem extremam, carne humana, aut sanguine vescatur. *Ita commun.* nam hoc est contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem, ac instinctum rectum naturæ: unde ab hoc tanquam à re valde inordinata, & extremæ feritatis abhorruere gentes omnes non penitus barbaræ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc sic alterata est, ut dici nequeat carnis humanæ sumptio. 6. Ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter.

Extra hos casus peccatum gulæ est solum veniale. *S. Thom.* 2. 2. q. 14. 8. a. 2.

Q. 2. Quanam sunt Gulæ remedia?

Resp. Hæc 1. Considerare gulæ incommoda, ac damna: quippe intellectum obnubilat, mentem deprimit, bona desideria extinguit, aggravat animam, reddit hominem ineptum ad sua officia, & exercitia spiritualia; impedimenta apponit gratiæ divinæ, & gaudiis spiritualibus; vitam minuit, morbos, & multa peccata parit; aditum vitiis aperit, & intercludit virtutibus. Item cogitare, quàm citò transeat

T 2

cibi,

cibi, & potûs delectatio, gravia autem mala ex gula orta maneant.

2. Vitare occasiones.

3. Sectari in omnibus temperantiam, nil ultra necessitatem convenientem edendo, & bibendo.

4. Semper sibi in mensa subtrahere aliquid modicum, quod adhuc licitè sumi posset, & præsertim, quod magis arridet palato.

Q. 3. *Quid est ebrietas, & quale peccatum?*

Resp. Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque potestatis proximæ. Est peccatum mortale, ut inter omnes constat. 1. Ex Isa 5. *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Et 1. Cor. 6. *neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Vox Græca significat Ebrios. & ad Gal. 5. ebrietas recensetur inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei. 2. Ex consensu Patrum, & Doctorum. 3. Quia est gravis inordinatio, & difformitas violenter adimere sibi potestatem proximam utendi ratione, exercendi opera virtutum, & sua munera, vitandi malum, faciendi bonum, & subveniendi necessitatibus subitis animæ, ac corporis: atque ita se ad brutorum stoliditatem abjicere, & imaginem Dei

Dei deturpare. Ebrietate autem hæc potestas sic adimitur.

Quare non licet se inebriare, sive ad vitandam mortem ab altero intentatam: nam (ut ait S. August. Serm. 232. vel S. Cæsarius) *etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, Melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima occideretur.* Nam ebrietas sicuti fornicatio non est medium ex se ordinatum ad vitandam mortem; sive medicamentum, quod tamen raro, & fere nunquam esse potest, cum teste Hypocrate ebrietas sit valde periculosa corporis sanitati. Ita S. Antonin. p. 2. Tit. 6. c. 3. ibi: *Non excusaretur per hoc quis ab ebrietate secundum Thomam, quamvis faceret causam medicina: & per consequens peccat mortaliter, & sumens, nisi crederet ex illo potu non posse inebriari, & medicus, vel alius, cui hoc sibi scienter consuleret, & propinaret hoc existimans.* Nam ebrietas quovis modo intenta, ac procurata, semper graviter disconvenit naturæ rationali, quæ rationali, cum violenter rationem perturbet, adimat potestatem eam utendi, & subveniendi necessitati animæ, ac corporis, Dei imaginem fædet, atque hominem ad statum bruti redigat.

Nec dic ebrietatem consistere tantum in excessu vini, voluptatis causâ. Nam quamvis voluptas in nimio potu non in-

tendatur, tamen effectus recensiti semper sequuntur; & temperantia violatur, cum immoderata potûs, vel cibi sumptio, præciso hoc, vel illo fine, ei opponatur: neque enim ad violandam aliquam virtutem necesse est agere ex voluptate. Enimvero si duo proposito præmio inter se contenderent, uter illorum plus vini biberet, & usque ad privationem rationis biberent absque voluptate, imò cum molestia, saltem quantum ad excessum: num contra temperantiam peccarent, & ebrietatis malitiam contraherent? Et ideo SS. Patres excessum vini sine ulla exceptione semper damnant.

Ut autem ebrietas sit mortalis, sufficit, quòd sit voluntaria indirectè, vel interpretativè. Quare peccat mortaliter 1. qui expressè non vult se inebriare, sed tamen tantum bibit, quantum potest, non satis attendens, an sequatur privatio rationis, nec ne. 2. Qui probabiliter putans, vel suspicans securam privationem rationis, si pergat bibere, vel de hoc dubitans, adhuc bibit: quia saltem se exponit periculo ebrietatis, & vult ebrietatem saltem interpretativè. Item si hoc periculum advertere possit, & negligat, etiamsi privatio rationis solum eventura sit post unam alteramve horam, cum nempe ad aërem prodibit. 3. Qui ex amicitia, vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabili-

biliter prævidet se inebriandum; quia invitatur ad id, quod alter sine mortali facere nequit, & eum verè inducit in ebrietatem, vel ejus periculum. Idem dic de iis, qui alios ad æquales haustus incitant, vel cogunt, aut se invicem obligant, ex cap. 14. *De vita, & honest. Cleric.* nam saltem alios, vel se conjiciunt in periculum probabile ebrietatis. Similiter de iis, qui ebriosis, vel ebrietati proximis vinum subministrant, & de iis, qui non impediunt, ne alius inebrietur, cum commodè impedire possunt.

Not. 1. Ebrietas sic est peccatum grave respectu omnium, ut sit gravius in quibusdam personis scilicet 1. Mulieribus ob turpitudinis, & luxuriæ periculum, tum in se, tum in aliis. 2. In iis, qui debent ex officio alios regere, ut sunt Patresfamilias, Magistratus, &c. 3. In Clericis, præsertim sacro Ordine insignitis, & maximè Curatis, tum propter scandalum majus, tum quia ebrietas est libidinis, fomes, ac nutritrix; tum propter damna, quæ aliis oriri possunt, cum Sacerdos ebrius fungi nequeat officio in necessitate occurrente: unde à multis Conciliis sub gravibus pœnis ebrietas illis speciètim prohibita est.

Not. 2. Ebrietas perfecta cognoscitur 1. Quando quis non novit discernere inter licitum, & illicitum; vel non potest solita officia exequi. 2. Quando quis postridie

non meminit, quid dixerit, egerit, quomodo domum redierit, &c. 3. Si ea fecit, quæ nunquam integra mente solet: ut si turpia, vel absurda protulerit, cum aliàs sit pudicus & prudens; si jurarit, blasphemarit, vel familiam perturbarit, cum aliàs sit modestus, & benignus, &c.

Q. 4. An mala, & peccata in ebrietate culpabili commissa imputantur ad culpam, ut cades, vulnera, blasphemia, &c.

Resp. Aff. Si prævisa sunt, ut verisimiliter secutura, vel prævideri potuerint. Est commun. quia sunt sufficienter voluntaria: qui enim vult causam, vult consequenter effectum saltem interpretativè; si hunc cognoscat, vel cognoscere possit probabiliter ex ea secuturum: ad culpam autem mortalem sufficit voluntarium indirectum, & interpretativum. Ita S. Thom. 1. 2. q. 77. a. 7. ibi: aliquid potest esse voluntarium, vel secundum se, sicut quando voluntas directe in ipsum fertur; vel secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam. & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit.

Imò peccata, quæ probabiliter secutura novit ebrius, vel prævidere potuit, ei im-

pu-

putantur coram Deo, etiamsi re ipsa postea non sequantur: quia istud est per accidens defectu objecti. Et quia se exponere periculo probabili peccati mortalis, etiamsi illud non perficiatur, est peccatum mortale ejusdem speciei cum illo, cujus probabile periculum adire voluit: nam hoc ipso tale peccatum indirectè, vel saltem interpretativè volitum est. Secus de peccatis, quæ nullo modo prævideri potuerunt, quia nullo modo sunt voluntaria.

Q. 5. *Quanam sunt filia Gula.*

Resp. Ex S. Gregorio hæc sunt ex parte animæ.

1. Hebetudo mentis, seu stupiditas orta ex crapula. Est mortalis, quando quis ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda, vel præstanda ea, quæ ad salutem ei sunt necessaria, aut ad quæ graviter obligatur.

Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vite: & superveniat in vos repentina dies illa, &c. Luc. 21.

2. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obscenas, actus turpes, choreas inhonestas, &c. Mortalis est, quando est inductiva ad consensum, vel actum, vel delectationem mortalem, aut ad aliquid scandalum pariens.

3. Multiloquium, in quo invenietur stultitia,

T 5

titia,

tia, nec deerit peccatum. *In multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10.

4. Scurrilitas, quæ excitat ad indecora, vel turpia agenda, aut dicenda, risûs movendi causâ.

ARTICULUS IV.

De Luxuria.

Q. 1. *Quid est Luxuria?*

Resp. **Q** Est inordinatus appetitus, vel usus venerorum, aut voluptatis veneræ. Esse peccatum mortale ex genere suo inter omnes constat 1. ex ad Gal. 5. *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* 2. Quia cum usus rei veneræ ex natura sua sit institutus, ac necessarius ad conservationem, ac propagationem generis humani, censetur res gravis: ergo inordinatio in hac materia est in re gravi, ergo mortalis.

Luxuria dividitur in perfectam, seu consummatam, quæ consistit in voluntaria effusione seminis; & in non consummatam, in qua non intervenit effusio seminis. Consummata duplex est; alia naturalis, quæ est voluntaria seminis effusio, in qua servantur conditiones, quas postulat natura a-

ctus

Etis ad hominis generationem apti, vel requisiti: alia innaturalis, seu contra naturam, in qua conditiones illæ non servantur.

Q. 2. *Quæ sunt species luxuria consummata naturalis?*

Resp. Sex, nempe simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, & sacrilegium: quorum quinque ultima habent specialem, & notabiliter diversam inter se difformitatem superadditam luxuriæ.

1. Simplex fornicatio est copula soluti cum soluta non virgine ex mutuo consensu extra matrimonium. Solutos voco, qui nullo vinculo, seu impedimento ab ineundo inter se conjugio prohibentur. Dixi *non virgine*, nam ex S. Thom. q. 154. a. 6. *fornicatio est concubitus, qui fit cum mulieribus jam corruptis*. Fornicationem esse semper per se peccatum mortale, fide constat ex ad Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hereditatem in regno Christi, & Dei*. Et ex 1. ad Cor. 6. & ad Gal. 5. supra cit. Esse verò intrinsecè malam graviter, patet ex eo, quòd per se graviter repugnet bonæ, ac debitæ educationi prolis; hæc enim requirit operam viri, & foeminae, qui sint inter in conjuncti lege matrimonii: alioqui ex natura rei incerta
esset,

esset, & periculo exposita prolis institutio. Unde ejusmodi inordinatio est gravis, utpote in re magni momenti, qualis est bona prolis institutio. Et quamvis hoc incommodum posset impediri in aliquo casu, id esset per accidens, & nihilominus debuit à Deo authore naturæ generaliter prohiberi pro omni casu: nam alioqui homines cupiditate excoecati facile sibi fingerent, & promitterent illud incommodum cessaturum in multis casibus, in quibus non cessaret, cum magno prolis damno. Imò nunquam potest cessare hoc damnum, & incommodum, quod est nasci extra matrimonium, & à parentibus lege matrimonii non obligatis ad curandam, & rectè educandam prolem. Unde Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Cæterum fornicatio cum concubina est cæteris gravior: quia in concubinato homo non solum peccat, sed etiam manet in statu peccati, & in continua voluntate saltem virtuali peccandi. Quare concubinarium, quamvis mors immineat, absolvi non debet, quin prius concubinam ejece- rit, nisi ejiciendi tempus omnino desit, tunc enim sufficit verum ejiciendi propositum. Imò etiam si eam dominus retine-
at,

at, extra mortis articulum non est absol-
vendus, antequam habeatur experientia de
ejus continentia.

Item fornicatio fidelis cum infideli est
juxta omnes longè gravior, quàm cum ca-
tholica. Imò juxta De Lugo, & alios hæc
circumstantia mutat speciem: quia prohi-
bito ab Ecclesia matrimonio cum infideli
in honorem religionis Catholicæ, atque
ob periculum malæ educationis prolis, &
nimii amoris erga infidelem, & defectio-
nis à vera fide: ita ob idem motivum cen-
setur prohibita ab ecclesia quævis copula
cum infideli, quæ semper vergit in de-
cus religionis. Ac proinde talis fornica-
tio est non solùm contra castitatem, sed
etiam contra virtutem religionis, ac cul-
tûs veri Dei.

Item fornicatio in Christianis habet pe-
culiarem deformitatem. Nam corpora
nostra per Baptismum, & Eucharistiam fa-
cta sunt membra Christi, & Tempa Spiri-
tûs Sancti. 1. *ad Cor. 6.*

Copula verò cum alterius sponsa præ-
ter luxuriam continet malitiam mortalem
injustitiæ, positam in eo, quòd fides data
violatur, & res alteri promissa, & ex justi-
tia debita notabiliter corrumpatur. Quod
idem de sponso affirmant multi, quia pari-
ter violat in re gravi fidem datam.

2. Stuprum est concubitus, quo mulier
Virgo extra matrimonium defloratur, seu
cor-

corrumpitur. Qui si fiat Virgine coacta, vel per dolum, seu fraudem seductâ, præter malitiam fornicationis continet duplicem injuriam mortalem, unam factam Virgini, cui honor virginitatis per vim, vel fraudem adimitur; alteram ejus Patri, in cujus custodia manet.

Quòd si nec invita, nec seducta fuerit, tamen ejus defloratio præter fornicationis malitiam continet tum injuriam illatam parentibus, qui jus habent tuendi integritatem corporalem suæ Virginis, donec nuptui collocetur, juxta illud Eccli. 7. *Filia tibi sunt? serva corpus illarum:* tum malitiam contra pietatem illis debitam, præbendo iis gravissimam mœstitiæ, ac ignominiaë causam, & ob periculum augendi dotem, vel inuptam retinendi filiam. Item constituit foeminam in gravi periculo deinceps peccandi, & aufert signaculum virginitatis: cui multiplici malitiæ cooperatur stuprator. Quare circumstantia defloratæ virginitatis foeminæ, etiam absque vi, dolo, falsis persuasionibus, debet in confessione exprimi, præsertim cum sit verum stuprum ex S. Thoma. 2. 2. q. 154. a. 6.

3. Raptus est, cum persona aliqua per vim abducitur ab uno loco in alium, concubitûs illiciti, vel alterius libidinis, aut etiam matrimonii causâ, sive sit mas, sive foemina, nupta aut innupta, virgo, aut corrupta: sive vis inferatur, soli personæ abductæ

ductæ, sive parentibus solis, sive utrisque. Unde duplicem continet malitiam mortalem, unam contra castitatem, alteram contra justitiam ob injuriam illatam personæ abductæ invitæ, vel saltem ejus parentibus, aut tutoribus, dum constituta sub ipsorum custodia extrahitur ipsis rationabiliter invitis. Gravissimæ poenæ in utroque jure contra Raptores statuuntur.

4. Adulterium est concubitus personarum, quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia. Præter malitiam luxuriæ continet gravem injuriam tum contra conjugem; nam vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor, nec uxor sui, sed vir ex 1. *ad Cor. 7.* tum contra matrimonii statum, & sanctitatem.

Quòd si conjux adulterantis consentiat, adhuc concubitus erit contra justitiam: quia est semper contra jus conjugii, & conjugis ut conjux est, quo cedere validè non potest, eò quòd ei competat non ad bonum privatum, sed ratione statûs, qui communis est. Unde cùm cessio juris sit nulla, jus manet, & sic tunc violatur: ideòque semper est verum adulterium. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* Triplex est adulterium. Nam vel est copula conjugati cum

cum

cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Si fœmina sit conjugata, gravius est peccatum, quàm si vir tantùm propter incommoda graviora, nempe incertitudinem prolis, suppositionem prolis alienæ cum damno mariti, & veri hæredis, & sæpe impedimentum generationis. Unde hæc circumstantia declarari debet, etiam ab adultero, quia ipse cooperatur fœminæ ad illam gravitatem majorem, & ad pericula, ac damna inde sequi nata. Si verò uterque sit conjugatus, adhuc gravius est, quia est duplex adulterium, & duæ injuriæ mortales in utriusque conjugem, exprimendæ in confessione.

5. Incestus est copula personarum consanguinearum, vel affinium intra gradum prohibitum. Opponitur castitati, & pietati, nam præter luxuriæ fœditatem continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis, vel affinibus debitæ. Eò gravius scelus est, quò gradus est propinquior, qui proinde in confessione exprimi debet: nam consanguineis, & affinibus pro diversitate graduum diversus honor, ac pietas debetur, & tunc violatur.

Item multò gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine, v. g. cum sorore uxoris: quia vinculum illud est multò arctius, nam plus est esse conjunctum ex proprio sanguine, quàm ratione sanguinis.

nis uxoris; & consanguinitatis propinquitatis, utpotè immediata, ac naturalis, major est propinquitate affinitatis, quæ est duntaxat mediata, & voluntaria. Imò incestus in consanguinitate differt specie ab incestu in affinitate: nam reverentiæ debita consanguineis, quæ violatur, est notabiliter diversa à reverentiâ debita affinibus, cum habeat motivum notabiliter diversum, nempe communionem sanguinis, & originem ab eodem stipite, ac proinde hæ duo incestus habent turpitudinem notabiliter diversam.

Incestus verò spiritualis, qui est copula illicita inter personas impeditas ob cognationem spiritualem ortam ex Baptismo, vel Confirmatione, continet tum malitiam propriam incestus, quatenus est copula inter personas vinculo spirituali conjunctas, cujus conjunctionis intuitu Ecclesia prohibuit inter illas matrimonia: tum malitiam sacrilegii, eò quòd prohibitio ista facta sit propter reverentiâ debitam Sacramento, quæ reverentiâ violatur per talem copulam. Unde debet explicari cognatio spiritualis in specie, ut innotescat utraque malitia. *Ita de Lugo Sanchez, &c.*

6. Sacrilegium venereum est violatio rei sacræ per actum luxuriæ. Unde duplicem continent malitiam mortalem, unam contra castitatem, & alteram contra religionem, qua gravis irreverentiâ Deo irrogatur.

tur. Res autem sacræ, quæ sic violari solent, sunt persona voto castitatis etiam simplici obstricta, & locus sacer.

Quare sacrilegium est. 1. Omnis actus tum externus, tum etiam merè internus luxuriæ sive consummatæ, sive non consummatæ, à persona voto castitatis obstricta, vel ab alia cum illa, aut circa illam commissus: ut sunt pollutio, copula, oscula, tactus, desideria, delectatio morosa, &c. Nam per tales actus violatur sanctitas personæ, quæ per votum castitatis corpus suum, & affectus suos omnes quoad voluptatem veneream Deo consecravit. Quòd si utraque persona sit sacra, erit duplex Sacrilegium.

2. Omnis actus venereus illicitus exterior, etsi occultus, ut fornicatio, pollutio, & tactus impudici in loco sacro, nempe in Ecclesia, vel cæmeterio. Nam sunt contra reverentiam loci sacri, & ejus intuitu ab Ecclesia prohibentur. Item copula conjugalis etiam occulta, quam non permittit sanctitas loci, & quæ in ejus reverentiam ab Ecclesia prohibetur.

Porro tantò gravius est sacrilegium, quantò sædior est luxuria, quia tantò magis repugnat reverentiæ debitæ rebus sacris.

Not. Peccatum luxuriæ Confessarii cum pœnitente continet malitiam duplicis sacrilegii, tum contra votum castitatis, tum con-

contra reverentiam Sacramenti, quod per hoc redditur odiosum, ac suspectum, maxime si sumitur ut medium ad peccandum. Imò licet tale peccatum non sit propriè incestus, quia non contrahitur cognatio Spiritualis, nisi ex Baptismo, & Confirmatione. Cap. 3. de Cognat. Spirit. in 6. tamen habet etiam malitiam tanquam incestus spiritualis: nam est incestus quidam similitudinarius, ex c. non debet 30. q. 1. ubi dicitur: *Sic peniteat quomodo de filia spirituali.* & ex c. omnes. eod. *Quia per penitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem, & mulierem confitentem simile cognationi spirituali, ut tantàm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia.* ait S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 8. hinc circumstantia hæc in confessione exprimi debet. Sanchez, De Lugo, &c.

Q 3. *Quenam sunt species luxuria consummata contra naturam?*

Resp. Cùm hæc peccata sint ea, in quibus non servantur conditiones, quas postulat natura actus venerei, ut ex eo possit fieri conceptio hominis; & hæc conditiones quinque sint, scilicet conjunctio duorum, eadem in utroque species, sexus diversus, organa, seu vasa apta, & debitus modus: ideo sunt quinque ejusmodi peccata.

U 2

1. Mol-

1. Mollities, seu pollutio formaliter, ac propriè sumpta, quæ est voluntaria seminis effusio sine ullo concubitu: sive illud foras effundatur, ut in maribus, sive intus disfluat in matricem, ut in fæminis.

2. Inordinatus concumbendi modus, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum infertur. Est peccatum mortale, cum repugnet generationi, ad quam & semen ex natura sua ordinatum est; & quidem gravius pollutione, cum ei superaddat inordinatum congressum. Quod si modus debitus non servetur, sed vir succumbat, vel aversè accedat more pecorum, vel à latere ster, aut sedeat, tunc modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas, juxta communem sententiam non est peccatum per se mortale, sed veniale grave, nec contra naturam, sed præter naturam. Dico *per se*, quia potest esse, & est plerumque signum concupiscentiæ mortalis, cum fit ex sola libidine sine causa, ut dicit S. Thom. sed nullum erit peccatum, si hoc fiat ex necessitate, cum scilicet ob dispositionem alterutrius corporis conjuges non possunt servare modum ordinarium; nam tunc alter modus non est incongruus respectu illorum, sed conveniens, modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas.

3. Sodomia imperfecta, quæ est commixtio maris cum fæmina non servatis
de-

debitis organis, seu instrumentis naturalibus.

4. Sodomia perfecta, quæ est commixtio duorum ejusdem sexûs, ut maris cum mare, vel foeminae cum foemina. Præter malitiam mortalem graviolem pollutione, potest habere alias adjunctas, ut adulterii, si fiat à persona conjugata, vel cum illa: sacrilegii, si cum sacra: incestûs, si cum consanguinea, aut affini, &c. Debet autem pœnitens explicare in confessione, an fuerit agens, vel patiens, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ fortè non intervenit ex parte patientis (quamvis plerumque interveniat utrimque; & cum sic intervenisse noscitur, exprimi debet) nam diversa sunt peccata voluntariè pollui, & solùm cooperari pollutioni alterius: aliud enim est non cohibere delectationem propriam illi. itam, aliud procurare alienam.

De Lugo.

Hæc sodomia est diversæ speciei ab imperfecta. Nam non servare in copula carnali debitum sexum est deformitas contra rectam rationem notabiliter diversa à deformitate, quæ inest congressui, quo non servatur debitum instrumentum, seu vas, servato debito sexu.

5. Bestialitas, quæ est concubitus cum bestia, sive ejusdem, sive diversi sexûs. Est scelus cæteris gravius, nam magis dedecet naturam rationalem ad Dei imaginem factam

Etiam; & diversitas speciei magis repugnat instituto naturæ. Ad hoc revocatur congressus cum dæmone in forma hominis, vel bruti, qui præter malitiam luxuriæ contra naturam, est etiam contra virtutem religionis, propter commercium, & societatem cum capitali hoste Dei.

Porro hæc omnia peccata inter se specie differunt, nam singula habent specialem, & notabiliter diversam deformitatem castitati repugnantem. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos. *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.* Sunt etiam graviora aliis speciebus luxuriæ naturalis in ratione luxuriæ: nam per se magis sunt contra naturam, & finem generationis. Aliquæ tamen ex his speciebus possunt esse graviores culpæ ex alia parte, ut scilicet involvunt malitiam alterius speciei, contra justitiam, pietatem, religionem: nam simplex pollutio non est absolutè majus crimen, quàm concubitus cum matre, vel cum moniali.

Q. 4. *An pollutio voluntaria est per se semper peccatum mortale?*

Resp. Aff. Ita omnes. constat. i. ex i. ad Cor. 6. *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* & ad Ephes. 5. Om-

Omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Pollutio autem est vera immunditia, ac impuritas, & quidem specialis. 2. Quia est intrinsecè mala, & crimen simplici fornicatione gravius: nam graviter repugnat generationi, & propagationi generis humani, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum: ideòque gravem continet inordinationem, quam Scriptura indicat Genes. 38. ubi de Onan fundente semen in terra ait: *& idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* 3. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Mollities jure natura prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Quare, secundùm communem Doctorum sententiam, nullo casu, etsi non voluptatis, sed solius mortis vitandæ causâ, licèt in se, vel in alio, quovis modo, pollutionem voluntariè procurare, admittere, vel intendere, aut aliquid sumere ea intentione, ut etiam in somno accidat. Nam ipse actus pollutionis independenter à delectatione, secundùm se graviter repugnat generationi, quæ sola est finis seminis humani. Et ideò neque licet præbere, aut sumere medicamentum ad corrumpendum semen, illudque emittendum viâ ordinariâ sine delectatione.

Porro de distillatione, quæ est fluxus humoris quasi mediæ inter urinam, & semen, idem sentiendum est, quod de pollutione, si fiat cum sensu delectationis veneræ. Cum autem fit sine ulla commotione spirituum genitalium, & absque omni carnali delectatione, de ea non est magis curandum, quàm de sudore, inquit Cajetanus.

Obj. Licet corporis sui partes abscindere ad vitæ suæ conservationem. Ergo, &c. *R.* Disparitas est, quòd partes corporis per se, & primariò ordinentur ad totum constituendum: unde de illis disponere licet ad totius conservationem. At semen solum institutum est, & ordinatum ad speciei propagationem: ideòque eo uti non licet, nisi modo ad speciei propagationem convenientem idoneo, & intra matrimonium. Addit Sanchez, quòd si ullo casu liceret seminis effusionem procurare extra actum conjugii, periculum esset, ne ob vehementem voluptatem, quæ in ea sentitur, homines passione excoecati, & illecti eam licentiam facillè extenderent ad plures alios casus, in detrimentum speciei humanæ, & sæpissimè illum casum adesse sibi falsò persuaderent. Nam si simul voluptate frui, & onera educandæ prolis vitare liceret, impediretur propagatio generis humani. Unde ad commune bonum, & ad occurrendum periculis aliàs futuris,
de.

debit pollutio jure naturali prohiberi in omni casu. At cum abscissio membri sit de se molesta, periculum non est, ne extendatur ultra casus à natura concessos.

Dixi, *voluntaria*. Quia si pollutio non sit voluntaria, nec in se, nec in causa, ut sæpè fit in somno, vel quando ex causis naturalibus licitis oritur, non est peccatum, secluso consensu in delectationem. Nam omne peccatum imputabile est essentialiter voluntarium, vel directè, vel indirectè, aut interpretativè in se, vel in alio.

Pollutio tamen in somno facta mortalis est, si ante directè procurata est, vel si post somnum in ipsa evigilatione cum plena advertentia placuit ob delectationem veneream. Alias non est peccatum, nisi indirectè procurata fuerit in excessu cibi, vel potûs, quia nemo potest peccare in somno defectu libertatis. Ita *S. Thom. in 4. dist. 9. a. 4.* quod si (ut multi docent) liceat evigilanti non impedire, sed permittère absolvi pollutionem jam in somno cœptam ad vitandum morbum, (modò absit periculum consentiendi in delectationem veneream, ad quod opus est oratione) quia, inquit, est præcisè pati ex necessitate effusionem seminis, non autem illam procurare; tunc saltem est obligatio reprimendi delectationem per positivam displi-

centiam internam, nam non licet se habere indifferenter ad illam. Certò autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in somno cœptam, addendo conatum: quia non præcisè patitur, sed positivè continuat illam.

Not. Sæpe pollutio, præter propriam malitiam, habet aliam in confessione exprimendam, petitam vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra, vel conjugata: vel ex affectu ad aliam, cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, malitiam habet fornicationis; si sacra, sacrilegii; si ejusdem sexûs, sodomix; si conjugata, adulterii, &c. vel ex modo, quo se polluit, si nempe fiat per tactus mutuos cum alia persona; nam hæc circumstantia pertinet ad speciem sodomix, si ambo sint ejusdem sexûs, ad incestum, si sint consanguinei, aut affines, &c. Idem dic de aliis luxuriæ peccatis.

Sed an licet desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura levetur, seu sanetur, non intendendo pollutionem ipsam, nec delectationem veneream, nec aliquid adhibendo, ut pollutio in somno sequatur?

Resp. Azor cum aliis negat: quia pollutio est mala ex objecto suo, & natura: at non licet etiam ob bonum finem desiderare id, quod

quod ex objecto suo malum est. Affirmant alii cum S. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 5. ubi ait: *appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantum sine peccato, id est, sine hoc, quod det operam, sed viâ naturali, non est peccatum.* Ratio, quam affert Sanchez, est, quia talis pollutio non procurata, sed viâ naturali proveniens, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subiectus, sed actus quidam, & evacuatio naturalis, sicut sudor. Sicut de homicidio, & fornicatione, quæ non sunt actus naturales, sed suapte naturâ liberi, & hominis voluntati subiecti.

Item controversia est utrum liceat de pollutione in somno inculpabiliter eveniente gaudere, præcisè ob levamen naturæ, & salutem corporis. Quamvis consentiant omnes licitum esse gaudere de bono effectu illo ex ea orto. *S. Thom. in 4. dist. 9. a. 4. q. 1. ad 5.* de pollutione nocturna, & inculpabili ait: *Si autem placeat ut natura exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

Q. 5. *An est peccatum ponere actionem, ex qua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea?*

Resp. I. Est mortale ponere sine urgenti necessitate actionem, ex qua tanquam causa propinquâ prævidetur secutura pollutio, vel

vel delectatio venerea, quamvis neutra aliunde intendatur, imò adsit propositum illos motus comprimendi, cum insurgent. Quia 1. Lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem, & delectationem veneream, simul obligat graviter ad vitandas, & auferendas causas horum motuum proximè excitativas, & per se in illos notabiliter influentes, ubi abest necessitas tales causas honestans. 2. Meritò effectus censetur voluntarius, & imputatur ponenti causam propinquam sine necessitate eam cohonestante. Hinc graviter teneris ejusmodi actionem inchoatam deferere statim ob insurgentem pollutionem, vel delectationem veneream: nam si pergas in illa actione, effectus secutus censetur in illa volitus, volitio enim continuandi causam est virtualiter, & moraliter volitio effectus. *Lessius, Valentia.*

Causæ autem, seu dispositiones propinquæ horum motuum excitativæ, sunt actiones, quæ per se sunt turpes, & natæ excitare motus venereos, aut turpitudinis speciem habent, nisi propriæ, vel alienæ necessitatis titulo honestentur, ut aspectus, & tactus partium pudendarum proprii, vel alieni corporis, præsertim diversi sexûs; lectio, auditio, locutio rerum valde obscœnarum, & ad libidinem allicientium, quamvis ex sola curiositate fiat.

Dixi, *sine necessitate*, nam aspectus, &

contactus partium pudendarum alterius corporis ob necessitatem medendi, non est peccatum secluso affectu pravo, & periculo consensûs in delectationem veneream. Nam in tali casu pollutio secuta non censetur voluntaria in causa, sed solum permixta; quia adest iusta ratio ponendi causam illam, & prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus. Neque enim tenemur motus illos naturales, & per se involuntarios impedire, cum adest iusta causa non impediendi, & abest consensûs periculum. Sic Chirurgus exercens suam artem circa mulierem, non peccat, etsi prævideat pollutionem inde secuturam, modò absit periculum consensûs in delectationem.

Resp. II. Ex communi: non est mortale contra castitatem ponere actionem, ex qua tanquam causa, seu dispositione remota, & per accidens prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, modò neutra intendatur, & absit periculum consensûs in delectationem veneream. Quia i. cum illi motus facillimè, & frequenter insurgant naturaliter, in æstimatione prudenti non censentur sufficienter voluntarii in causa remota, ut imputentur illam ponenti ex alio fine; sed à sola natura corrupta oriri censentur: alioqui enim homo teneretur abstinere à multis actionibus licitis, ac necessariis, ne illos motus experiretur.

retur.

retur. Nec causæ illæ remotæ censentur moraliter illorum causæ; nec in illas consentiens censetur velle talem effectum propter summam facilitatem, qua illi motus excitantur ex naturæ corruptione. 2. Quia jus suum prosequenti non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus.

Sanchez tamen *ex communi* docet tales causas sine justa causa ponere esse veniale etiam contra castitatem: quia aliquantum adversatur castitati, quòd sine utilitate honesta cogente ponatur causa remota, & per accidens motuum castitati inimicorum, & ad malum incitantium.

Causæ autem remotæ, & per accidens horum motuum sunt eæ, quæ nec sunt per se turpes, nec ad luxuriam, sed ad alios fines licitos per se ordinantur, nec turpitudinis speciem habent; sed vel per se honestæ sunt, ut auditio confessionum; vel indifferentes, ut equitatio, esus calidorum, studium Medicinæ, & Casuum conscientiæ, medicamenta, &c. Quare hæc accedente honesta, & utili causa, & secluso periculo consensus, sunt licita, quamvis præter intentionem ex iis sequatur pollutio, vel delectatio venerea. Nam tunc illi motus censentur solum permisi, non voliti, eò quòd nulla sit obligatio relinquendi opus honestum, & utile propter motum inordinatum, & indeliberatum occasione illius

illius ex naturæ corruptione , præter intentionem , & seclulo periculo consensûs exsurgentem.

Quòd si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream, (ut si pluries quis in tali occasione consenserit) tunc is, ex communi, tenetur ab illa actione, quantumvis honesta, & utili, v. g. audicione confessionum abstinere: nam non licet se probabili peccandi periculo exponere.

Q. 6. An est semper peccatum non expellere cogitationes de rebus venereis, sed in illis immorari?

Resp. Qui immoratur cum plena advertentia in cognitione de rebus venereis, si adsit delectatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum consensûs in illam, aut in rem cogitatam, peccat mortaliter ratione talis delectationis, vel periculi: venialiter verò, si advertentia sit solum imperfecta, ac semi-plena, qualis est in semi-dormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex justa, & honesta causa, v. g. ut tales res melius discernat ad confessarii, vel medici munus rectè obeundum, non peccat seclulo periculo consensûs in rem cogitatam, & delectationem: quia talis cogitatio non est mala, neque in se, neque in effectu, aut ratione periculi. Erit autem

tem

tem venialis culpa, si hoc ex mera curiositate fiat, seclusis delectatione venerea, & periculo consensûs in rem cogitatam, & affectu in ipsam: quæ tamen omnia raro absunt in cogitante de his rebus absque fine honesto; nam hæc materia est valde lubrica, & periculosa.

Q. 7. Quanam sunt peccata Luxuria non consummata?

Resp. Sunt desideria, delectatio morosa venerea, aspectus, amplexus, & tactus impudici, oscula, verba obscœna, gestus turpes &c. sine effusione seminis. Jam censet ex dictis Cap. 6. desiderium simplex, etsi inefficax actûs luxuriosi habere malitiam mortalem ejusdem speciei: sic desiderium simplex copulæ cum conjugata, vel consanguinea habet malitiam adulterii, vel incestûs, nunc de cæteris agam.

Q. 8. An delectatio morosa venerea extra conjugium est mortalis?

Not. 1. Delectatio morosa est delectatio deliberata, sive delectatio post sufficientem advertentiam admissa, seu approbata, etsi unico instanti. Dicitur enim morosa, non à mora temporis, quo durat, cum peccatum mortale unico instanti committi possit; sed voluntatis, quæ post advertentiam

nam sufficientem ei immoratur, eam accipiendo, aut non rejiciendo. Hinc potest esse delectatio morosa, quamvis instantanea, si nempe voluntas in eam advertenter per unicum instans consenserit.

Not. 2. Triplex est delectatio, nempe spiritualis, merè sensibilis, & venerea. Spiritualis est ea, quæ in sola voluntate residet sine ullo motu sensibili in corpore, si ve quæ est independens ab omni motu sensibili in corpore. Hæc delectatio, si sit de actu mortali, est mortalis, & sumit speciem ab illo ut objecto. Delectatio merè sensibilis est, quæ oritur ex proportione, ac conformitate rei sensibilis cum organo sensûs, sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas: qualis est delectatio, quæ percipitur ex tactu rei blandæ, ex gustu, ex Musica, &c. Delectatio venerea est ea, quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum genitalium, seu generationi inservientium.

Resp. Omnis deliberata delectatio venerea, vel minima, extra conjugium quæsita, aut admissa est mortale peccatum, nec potest esse veniale ex levitate materiæ.

Est communis Doctorum sententia Prob. Quia 1. Omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur, ac tendit ad seminis effusionem, estque inchoatio quædam illius: nam in omni delectatione venerea fit quædam resolutio seminis, ejusque dedu-

ctio ad partes venereas, ut testantur Aristot. Galen. Hypocrat. & Medici. Ergo cum seminis effusio voluntaria extra actum conjugalem sit mortalis, ut patet ex dictis de pollutione, & fornicatione, omnis actus ad illam ex se tendens, & ordinatus est per se mortalis: quippe dispositio sumit suam speciem, ac malitiam moralem à forma, ad quam disponit, motus à termino, ad quem tendit, medium à fine, causa à suo effectu. 2. Inter omnes constat, moraliter, & practicè loquendo minimam delectationem veneream quæsitam, vel deliberatè admissam extra conjugium habere annexum periculum proximum peccati mortalis; eò quòd difficillimum sit, & moraliter impossibile in re tam lubrica dijudicare, ac determinare materiam levem, & ob summam naturæ corruptæ in talia propensionem sistere in certa delectationis parvitate, ita ut animus leviori delectatione illectus graviolem non appetat, nec admittat. Ergo certum est etiam speculative delectationem veneream, vel minimam quæsitam, aut admissam esse mortalem: cum certum sit etiam speculative omnem actionem, cui per se annexum est periculum morale peccati mortalis, esse mortaliter malam, nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3. & qui vult morale periculum peccati, vult saltem interpretativè ipsum peccatum.

Obj.

Obj. In furto, in excessu cibi, vel potus datur levitas materiae. Ergo, &c. *R.* Disparitas est, quod rei vilis ablatio, levis excessus in cibo, vel potu per se non ordinetur ad actum mortalem, nec inducat periculum graviter peccandi. At delectatio venerea, vel minima ex se ordinatur ad effusionem seminis mortaliter malam extra conjugium, & per se inducit periculum consentiendi majori delectationi.

Not. 1. In Societate nostra omnibus in virtute S. Obedientiae prohibitum est, ne quis publice, vel privatim sententiam huic oppositam, non modò ut veram, & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut secundum illam cuiquam consilium det. ex Congreg. 9. Decreto 24.

Q. 9. An peccat mortaliter, qui post sufficientem advertentiam negativè se habet ad delectationem veneream, eam neque approbando, neque reprimendo?

Resp. Aff. Quia voluntas tenetur reprimere positivè motus illicitos delectationis, & sensualitatis, saltem per actum displicentiae. Ita S. Antonim. Suarez, Vasquez, Azor, Lessius, & alii, communiùs cum S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 6. ubi ait: *contingere peccatum esse in ratione dupliciter.*

citer. Uno modo, quando imperat illicitas passiones... Alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum: sicut cum aliquis, postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit. Prob. Quia 1. Conc. Trident. sess. 5. can. 5. definit concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus. Ergo ut non noceat, non sufficit mera negatio consensûs, sed requiritur repugnantia, seu displicentia positiva, 2. Tales motus sunt ex objecto graviter inordinati, cum juxta omnes sit mortale illis positivè consentire; item sunt ex natura sua dispositiones proximæ ad opus mortale, ad quod valde pertrahunt, & alliciunt appetitum. Ergo graviter disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ se habere indifferenter ad illos; & voluntas, cujus est regere passiones secundum rectam rationem, ac legem divinam, tenetur illos expressè, ac positivè reprobare per formalem displicentiam. 3. Sicut non licet se habere indifferenter ad actus turpes ab alio circa se exercitos: ita nec ad motus turpes à dæmone, vel ex naturæ corruptione in se excitatos. 4. Illis motibus per se annexum est periculum intrinsicum rei mortaliter malæ, & consensûs in delectationem;

nem: nam ex se sunt dispositiones proximæ ad actum mortalem, nempe effusionem seminis, & per se vehementer alliciunt voluntatem ad consensum per sympathiam appetitûs sensitivi cum rationali. Ergo requiritur positiva displicentia ad impediendum voluntatis consensum, sine qua non tollitur periculum consentiendi, cum moraliter impossibile sit voluntatem diu se negativè habere circa objectum vehementer alliciens. Hinc illud prov. 4. *Omni custodia serva cor tuum.*

Imò sola illa displicentia non sufficit, sed illi motus prorsus expellendi sunt, præsertim deserendo actionem, quæ eos excitat, ni obstet causa justa. Tum quia tunc sola displicentia non videtur satis sincera, cum vix discerni possit utrum sit vera displicentia, an fallacia voluntatis sibi imponentis, & illis motibus frui volentis. Tum quia homo tenetur impedire, & expellere motus per se graviter inordinatos, saltem cum abest justa causa eos permittendi. Hinc teneris sub mortali actiones, etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscœnarum ex sola curiositate, dimittere statim, atque excitant in te pollutionem, vel delectationem veneream vehementem, ut docet Valentia. Ubi autem adest justa causa non sic expellendi, ut si probabilis timor sit, ne ex maiore resistentia magis augeantur, aut illis depulsis gra-

viores insurgant, vel si ad illos motus expellendos dimittenda esset actio honesta necessaria, vel utilis, v. g. auditio confessionum, studium casuum conscientiae; tunc sufficiet displicentia vera: alioqui homines deberent semper esse anxii, & multa bona omittere.

Porro medium aptissimum compescendi motus illos est mentem statim aliò avertere; & si perseverent, orare, signo crucis se munire, oculos ad imaginem Christi Crucifixi convertere, cogitare de ejus Passione, de igne aeterno, morte, &c. Interdum de re indifferenti, aut negotio, quod animum applicet, & à tali objecto avocet,

Q. 10. An delectatio in rosa de actu luxuria, v. g. copula cogitata, contrahit non solum malitiam substantiae operis, sed etiam circumstantiarum cognitarum ei annexarum, & speciem mutantium?

Resp. Aff. Ita S. Antonin. Cajet. Suarez, & alii: quia talis delectatio versatur circa opus ut cogitatum: ergo illius objectum est id omne, quod cognoscitur; ac proinde non solum opus, sed etiam circumstantiae illi annexae, & cognitae, sunt ejus objectum. Actus autem sumunt speciem, ac malitiam à toto objecto suo: & ad illam contrahendam sufficit voluntarium indirectum, ac interpretativum. Hinc simplex delectatio deliberata de copula cogitata

tata cum conjugata, vel confanguinea pertinet ad speciem adulterii, vel incestus.

Q. II. *An oscula, aspectus, tactus impudici sunt culpa mortalis in non conjugatis?*

Resp. I. Ista omnia, imò & amplexus, oscula, & tactus partium etiam honestarum ut faciei, manûs, sunt culpa mortalis, si extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ potest ex illis sequi, etiam ibi sistendo: idem dic de tactu partium proprii corporis. Est communis, & constat ex dictis: nam mortale est extra conjugium quærere, aut advertenter admittere quamlibet delectationem veneream, vel minimam, cum hæc parvitatem materiæ non admittat, & ex se tendat ad seminis effusionem, ideóque ad pollutionem, vel fornicationem in non conjugato.

Hinc (ut docet S. Antonin.) est etiam mortale permittere se tangi, etiam in facie, vel manu, ab eo, qui noscitur ad id moveri amore libidinoso: quia est cooperari, & consentire alterius culpæ mortali. Digni autem sunt morte, non solum, qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *ad Rom. 1.*

Resp. II. Tactus partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis ejusdem, vel diversi sexûs sunt mortales, si fi-

ant, vel admittantur sine necessitate mendendi, etsi non ob delectationem veneream, sed ex sola curiositate, vel joco. *Ita Sanchez, Layman, & alii commun.* Quia

1. Hi tactus ad delectationem veneream ex se tendunt, illamque valde excitant, & sic sunt causa illius proxima. Imò ex suapte natura ad effusionem seminis referuntur. Ergo simul cum illa graviter prohibentur; nam prohibitâ gravitet re aliqua, prohibentur etiam graviter omnia, quæ per se ad illam excitant, & ordinantur. Deinde causa participat malitiam sui effectûs.
2. Hi tactus sunt impudici, & comprehenduntur nomine impudicitia, quæ ad Gal. 5. dicitur excludere à regno Dei.

Hinc seclusa necessitate medendi tactum partium inhonestarum in se permittere ab alio fieri est mortale; & quisque tenetur quantum potest omnino talia impedire in se, & illis resistere, cum sint intrinsecè mala.

Item mortale est propria pudenda sine necessitate tangere, si delectatio venerea ex eo tactu oriatur, & prævideatur: quia per se tendit ad pollutionem. Ita Sanchez, secus dicens, si tactus ille ex curiositate, levitate, absque libidine, & delectationis ac pollutionis periculo fiat; quia deficit animus libidinosus, nec intervenit ea turpitudò, quæ in tactu alieno, nec idem peri-

periculum. Hoc tamen non omnino vacat periculo, nec peccato.

Resp. III. Aspectus partium pudendarum alterius sexûs, item concubinatus viri cum femina, quamvis non animo libidinoso, sed ex sola curiositate, vel levitate, mortalis est: quia ad veneream libidinem, & pollutionem in hac naturæ corruptione per se multum excitat, & periculum morale consentiendi in delectationem veneream affert, & valde honestati naturali adverfatur. *Ita Sanchez, Reginal, Layman, &c.*

Aspectus verò pudendorum ejusdem sexûs, vel proprii corporis, aut coitûs animalium ex sola curiositate, vel levitate, seclusis affectu venereo, scandalo, & periculo pollutionis, ac delectationis veneræ, juxta multos est solum venialis: quia nec graviter honestati adverfatur, nec adeò ad luxuriam per se incitat. Potest tamen esse mortalis ratione periculi, spectatâ aspicientis speciali fragilitate: quod non rarò adest in juvenibus, quare ab his graviter deterrendi sunt. Et certò mortalis est, si fiat ex voluptate deliberatè quæsitâ.

Resp. IV. Amplexus, tactus, & oscula etiam in partibus honestis, ob solam delectationem merè sensibilem, & nondum actu veneream, sunt culpa mortalis inter personas diversi sexûs libidinis capaces, saltem si fiant cum mora, vel repetitione, quamvis non intendatur expressè delecta-

tio venerea : quia illi actus sic exerciti, per se non parum excitant commotionem spirituum genitalium, & delectationem veneream, quæ necessitate quadam physica oritur ex tali delectatione sensibili, saltem re- petita, vel diuturna; & quia supposita propensione naturæ inordinata in voluptates carnis non possunt sic usurpari absque delectatione morosa concubitus: aut saltem in hac naturæ corruptione ingerunt periculum morale delectationis venereæ, & consensûs in illam: & sic sunt causaliter libidinosi, utpote libidinis causæ. Malitia autem talium actuum non ex fine solùm, sed etiam ex effectu, quem pariunt, sumi debet. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos: *Est probabilis opinio, quæ dicit: esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.*

Resp. V. Amplexus, contactus manuum, oscula in facie, si juxta morem patriæ fiant urbanitatis, aut benevolentiae honestæ causâ non sunt peccata per se: quia non sunt impudica, nec per se tendunt in actum venereum, & fiunt ob rationabilem causam. *Ita commun.* cum S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 4. Si verò ista fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, juxta multos sunt solùm venialia, modò absit omnis affectus libidinosus, & periculum

lum peccati gravis tam in se, quàm alio, nec habita ratione constitutionis personarum delectationem veneream multum excitent.

Si autem ista sine causa exercita, longiora sint, aut crebrò fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia: quia arguunt affectum ad libidinem, & excitant delectationem veneream, afferuntque morale periculum consensûs in illam. Nam (ut rectè monent) in materia tam lubrica, quæ de se essent solum venialia, si repetantur, aut diutius protrahantur, fiunt mortalia, curiositate, aut levitate degenerante in libidinem.

Quare admittens oscula morosa, aut crebra, aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter: quia cooperatur affectui libidinoso alterius, qui satis per ista indicatur.

Not. Oscula, amplexus ob delectationem veneream, tactus, & aspectus impudici mortales supradicti ex communi sententia sunt ejusdem speciei mortalis, ac actus consummatus, seu concubitus, ad quem suapte naturâ referuntur, quamvis hic non intendatur: quia sunt dispositio proxima ad concubitum, & media per se ad illum tendentia; quippe dispositio, & media sumunt malitiam à suo termino, & fine: ac proinde ista omnia contrahunt diversam speciem malitiam, pro diversitate personarum,

narum,

narum, à quibus, & circa quas exercen-
tur; ut malitiam sodomix, si cum simili
sexu exercentur; adulterii, si cum conju-
gata aliena; incestus, si cum cognata, &c.
Nam cum opera circa eas personas diffe-
rant specie: ita etiam actus, qui sunt di-
spositio, & media per se ad illa tendentia:
quare circumstantia agentis & patientis,
exprimi debet in confessione. *Ita San-
chez, Lessius, & alii.* Impudicus verò
sui ipsius actus ad mollitiem pertinet, nisi
aliò referatur ex intentione agentis.

Q. 12. *Quale peccatum est loqui, canere,
legere, vel audire turpia, & ob-
scœna?*

Resp. Est mortale, si fiat extra conjugi-
um ob delectationem veneream, aut cum
probabili periculo illius in se, vel in aliis,
aut cum animo se oblectandi rebus illis.
*Ita S. Antonin. Navar. Sanchez, & alii
commun.* Quia delectatio venerea extra
conjugium est ex objecto mortalis, cum sit
mortale ei consentire. Ergo est mortale in-
tendere, vel procurare illam, aut ejus peri-
culum probabile in se, vel in aliis. Delecta-
tio verò de actu turpi apprehenso est per
se mortalis: ergo à fortiori, & illam verbis
fovere.

Secluso autem omni affectu venereo, &
peri-

periculo delectationis venereæ, ac scandali, turpia loqui, vel canere solùm ex levitate, vel legere, aut audire ex mera curiositate est saltem veniale. Nam hæc adversantur castitati, & prohibentur Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. & c. 5. fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis. sicut decet sanctos; aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Tamen juxta S. Antonin. & alios non est mortale, quia non est per se gravis inordinatio. *De hoc nulli dubium est, quòd qui dicit verba turpia, & lasciva hac intentione, ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione, & cogitatione turpium, extra matrimonium mortaliter peccat...* sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundum Thomam per maximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: tamen per accidens potest esse mortale ibi, ratione scandali, seu ruinae inde sequentis in mente alicujus, ut cum audientes sunt debiles spiritus, & verba essent multùm lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lascivias. ait S. Antonin. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 8.

Sed quia in praxi rarò abest periculum

tur-

turpis desiderii, aut complacentiæ, sive in proferente, ac legente, sive in audientibus; sermones, cantiones, vel lectiones rerum turpium, ac lascivarum in vel coram juvenibus, aut aliis infirmis spiritu rarò vacant culpa mortali: nam *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* 1. ad Cor. 15. & *præbent verba ad res ipsas ingressum.* ait S. Athanas. hinc obscœna proferens tenetur in confessione exprimere numerum eorum, quibus fuit occasio turpis desiderii, vel delectationis. Qui verò alteri præbet occasionem sermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præstat authoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiamsi rem narratam interiorius non approbet: nam complacentia, vel approbatio exterior rei mortalis est mortalis. Idem est de gestibus turpibus, ac de turpiloquiis, cum sint etiam signa ad luxuriam incitantia, & de turpibus spectaculis, ac comœdiis. Qui autem libros turpes, & amatorios habent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant.

Q. 13. *An licent oscula, amplexus, tactus, &c. in sponsis, & viduis?*

Resp. I. Omnis delectatio venerea, aspectus, & tactus turpis, seu partium pudendarum, & quivis actus luxuriæ sunt mortales in Viduis, & sponsis. *Ita Sanchez, & alii*

alii commun. quia cum omnis delectatio venerea, & actus libidinosus suapte natura ordinetur, ac tendat ad effusionem seminis, & copulam, est mortalis in non conjugatis, cum effusio seminis, & copula sit in ipsis mortalis: nam medium à fine, & actio à termino, ad quem tendit, malitiam, ac speciem sumit. Cum ergo copula tam sit sponsis, ac viduis illicita, quam aliis solutis; tam etiam iis illicitus est omnis actus turpis, ac impudicus. Et verò cum sponsalia sint solum promissio futuri matrimonii, non traditio corporum; nullum tribuunt jus præsens in corpus alterius in ordine ad copulam hanc, & nunc exercendam, nec proinde ad actus, qui ad illam per se ordinantur: sicuti manus Judicis exercere hodie non licet ei, cui præcisè promissum est.

Itaque solum licent sponsis amplexus, & oscula honesta, juxta morem patriæ, amoris honesti significandi, & fovendi causâ. Hinc sponsi non debent relinqui soli, ob periculum actuum impudicorum, vel etiam copulæ, ut S. Carolus, & Doctores passim mōnent.

Resp. II. In sponsis, ac viduis mortalis est voluntaria delectatio carnalis, seu delectatio appetitûs sensitivi de copula futura, aut præterita, vel de copula apprehensa sub conditione, si adesset matrimonium, *Ita Sanchez, Azor, & alii commun.* Quia de-

delectatio carnalis, quæ ex cogitatione copulæ futuræ, vel præteritæ, vel conditionalis oritur, est delectatio absoluta, præsens, & conjuncta cum actuali commotione spirituum genitalium per se ordinata ad copulam præsentem: siue carnalis illa delectatio est delectatio venerea præsens, & voluntaria, quæ ex se ordinatur ad copulam præsentem, ideoque semper mortalis est in non conjugatis: nam copula præsens, seu actualis semper est mortalis in non conjugatis, ergo & omnis actus ad illam ex se ordinatus, ac tendens. Et verò appetitus sensitivus sequitur imaginationem, quæ non potest præscindere, nec apponere conditiones.

Porro sunt, qui docent posse excusari à mortali eos, qui absque commotione venerea apprehendunt actum conjugalem, ut præteritum, vel futurum, approbantes, quòd illum exercuerint, aut exercituri sint; eò quòd non approbent illud opus, nisi quatenus fuit, vel erit iis licitum, sed monent talem mentis apprehensionem, cum vix possit esse sine delectatione venerea, esse statim rejiciendam, & nunquam accersendam. Neque enim est in nostra potestate sistere in delectatione merè spirituali, dum certa objecta apprehendimus.

Q. 14. *Quanam sunt filia Luxuria?*

Resp. Ex S. Gregorio, & S. Thoma sunt octo. Quatuor ex parte intellectûs, nempe cœcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstancia: quæ sunt mortales, cum ideo præceptum aliquod in re gravi violatur. Et quatuor ex parte voluntatis. 1. Amor sui inordinatus, quo luxuriosus carnem suam, & carnis voluptates ita diligit, ut in iis finem ultimum ponat, suas cogitationes, ac curas ad illarum affecutionem referendo. 2. Odium Dei, qui voluptates illas graviter vetat, & punit. 3. Affectus præsentis sæculi, hoc est, vitæ præsentis, & rerum hanc oblectantium, quo ita istis inhæret, ut contentus esset in hoc mundo semper manere, de beatitudinis Cœlestis consecutione haud sollicitus. 4. Horror, & desperatio futuri sæculi: horror quidem, quia scit se post mortem impuris voluptatibus privatum iri, & earum loco supplicia acerbissima subiturum: Desperatio verò, quia obscenas voluptates deserere quasi impossibile reputat. Hæc quatuor sunt mortalia.

Q. 15. *Quanam sunt remedia contra Luxuriam?*

Resp. Ista. 1. Oratio humilis, & frequens.

Tom. I.

Y

ne-

nemo enim potest esse casus, nisi Deus det.
Sap. 8.

2. Mortificatio, & custodia sensuum, maximè visûs. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius... Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Eccli. 9. & S. August. Epist. 109. ait: Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem... nec solo tactu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit famina. Nec dicaris vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.*

3. Sobrietas, seu usus moderatus vini, quod non solum modicum, sed etiam aqua permixtum sit, præsertim in juvenibus: nam ex Prov. 20. *Luxuriosa res vinum.* Item abstinentia, seu moderatus esus ciborum, nam copia nimia humorum, & sanguinis suppeditat materiam tentationum carnis: temperantia autem superfluitatem humorum impedit, ac tollit. Unde Ezech. 16. dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodome, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus... & fecerunt abominabiles coram me.*

4. Vitatio occasionum, quales sunt familiaritates, & colloquia inter personas diversi sexûs, frequentatio improborum, lectio librorum obscœnorum, & amatoriorum, choreæ, comœdiæ, spectacula. &c.

Hoc vitium vincitur fugiendo. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Ait S. Augustin. *& qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli.

3. quo circa monendi sunt parentes, ne unquam lectum communem permittant pueris diversi sexûs, etiam fratribus, & sororibus, nec patiantur secum liberos decumbere in eodem lecto, nec si grandiores sint, in eodem cubiculo. Hoc enim perniciosum est eorum castitati, ut experientiâ constat.

5. Fuga otii, *multam enim malitiam docuit otiositas.* Eccli. 33.

6. Frequens Confessio, & Communio cum debitis dispositionibus.

7. Carnis macerationes, & jejunia, cilicium, catena ferrea, &c. Nam *hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium.* Mat. 17. & contraria contrariis curantur.

8. Eleemosynæ, & alia charitatis opera, quæ valent ad obtinendas à Deo uberiores, ac potentiores gratias.

9. Assidua piorum librorum lectio, & Meditatio Passionis Christi, ac æternorum.

In omnibus operibus tuis memorare no-

vissima tua, & in aeternum non peccabis.
Eccli. 7.

10. Occurrente tentatione cogitare Deum adesse praesentem, justum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem; & saepe animo volvere illud S. Gregorii: *momentaneum est, quod delectat, aeternum, quod cruciat.*

11. Initio tentationis fortiter resistere, & statim avertere cogitationem ad quidvis aliud licitum primo occurrens, sed praesertim ad Passionem Christi, &c. *Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, hoc est, prima suggestioni non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur.* Ait S. Hieron. in Eccles. c. 9. *resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Jac. 4. si nihilominus tentatio duret, orare, cogitare de morte, de poenis inferri, &c. Intueri imaginem Christi patientis, vel eum animo contemplari, signo Crucis cor munire; considerare neminem quantacunque fame prematur, sumpturum esse cibum, si sciret venenum ei esse admixtum, ideoque sibi mortem illaturum, *nunquid potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Job 6. quanto magis metus certae mortis animae deterrere debet.

12. Nascentem voluptatis sensum praesenti aliquo dolore accito extinguere.

Denique multum juvabit habere stabilem Confessarium pium, ac prudentem,
ejus.

ejusque pia Consilia sequi: nam suggeret remedia, quæ poenitenti erunt utiliora, & huic tentationi superandæ aptiora.

Not. Ista remedia valent etiam contra alia vitia, & tentationes.

ARTICULUS V.

De Ira.

Q. 1. *Quid est Ira?*

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Ira autem est inordinata dupliciter. Ex parte objecti, cum quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem, quam meruit, vel inferendam sine legitima auctoritate; vel licet sit justa, non tamen eam appetit ut justam, sed ut satiativam animi sui malevoli. Ira sic inordinata est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem, & justitiam. Hinc ad Gal. 5. ira numeratur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Potest tamen esse venialis ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ.

2. In modo irascendi, utpote si quis nimis ardens irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa Ira. Et sic ira secundum se non habet ex suo generationem peccati mortalis. Ait S. Thom.

q. 158. a. 3. potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemix, injuriæ, convitii, maledicti, &c. Quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

Q. 2. *Quænam sunt filia Ira?*

Resp. Sunt 1. Indignatio, quæ est animi commotio contra alium ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat. Sæpe venialis est: mortalis verò ratione maledicti, contumeliæ, gravis odii, contemptûs, vindictæ, vel scandali.

2. Tumor mentis, qui est æstus quidam exandescens animi, & excogitantis diversas vindictæ vias. Mortalis, vel venialis est, pro qualitate vindictæ excogitatæ, & expertæ.

3. Clamor, qui est inordinata, & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convitii, maledicti, scandali, &c.

Denique Blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugna, seditio, vulnera, homicidium. Quæ omnia sunt ex genere suo mortalia, utpote contra charitatem, & justitiam.

Q. 3. *Quænam sunt Ira remedia?*

Resp. Præcipua sunt considerare, quàm sit injusta, & perniciofa, orare, meditari mansuetudinem Christi, nil unquam agere, &

& loqui ex motu, vel in motu iræ, sed solum postquam sedatus est; omni cura impedire iræ motum, & excitatum statim reprimere; exercere frequentes actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, &c.

ARTICULUS VI.

De Invidia.

Q. 1. *Quid est Invidia?*

Resp. Est tristitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam nostram, quia nempe in eo bono ab eo æquamur, vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Mortalis est ex genere suo, nam directè opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere; & ad Gal. 5. invidia dicitur excludere à regno Dei. Estque diabolicum vitium ex Sap. 2. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Invidia autem sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad gaudium prædictum.

Not. Ex S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. tristitia de bono alieno potest contingere

quatuor modis. 1. Cùm quis dolet de bono alicujus v. g. potestate, in quantum ex eo sibi, vel aliis, damnum timet: talis tristitia est licita, si inde timeas malum certò injustè inferendum, ob quod liceret eum privare tali bono, si haberes potestatem ad id legitimam: secus, est illicita. 2. Potest quis dolere de bono alterius, non ex eo, quòd ipse habeat bonum, sed ex eo, quòd sibi desit bonum illud, quod alter habet, ita ut minime cupiat alterum illo carere. Et hoc non est invidia, sed æmulationis, quæ si sit circa bona spiritualia, & honesta, laudabilis est: si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa, & sine culpa, prout bonum est dolenti proportionatum, & necessarium, vel improporionatum, & superfluens, & prout refertur ad bonum, vel malum finem. 3. Cùm quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est. Quæ tristitia mortalis est, si sit de bonis supernaturalibus; vel si quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat, nam est Blasphemia. 4. Cùm quis dolet de bonis alicujus, in quantum alter æquat, aut superat ipsum bonis illis. Hoc est propriè invidia: *& istud semper est pravum, ut etiam Philosophus dicit in 2. Rhet. Quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi. ait. S. Thom.*

Q. 2.

Q. 2. *Quarum sunt filie invidia?*

Resp. Sunt 1. Odium. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est sermo, quo sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. Mortalis est contra justitiam, quia per illam grave damnum proximo injustè infertur. Nam quisque habet jus, ne per injuriam, seu sine justa causa privetur amicitia alterius, quæ est magnum bonum juxta illud Eccli. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla comparatio, &c.* Hinc illud Eccli. 28. *Susurro, & blinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ad susurrationem mortalem sufficit, quòd sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo, licet referatur sine intentione eam dissolvendi; quia tunc ponitur injustè, & voluntariè causa dissolutionis amicitia. Quare susurro tenetur restituere, in quantum potest, amicitiam injustè ab ipso ablatam, & alia damna, inde secuta, perindè, ac detractor famam, cum sit causa injusta talium damnorum.

Alia sunt etiam mortalia ex genere suo. Unde ad Rom. 1. inter eos, qui digni sunt morte, recensentur. *leni invidia, mali-*

gnitate, susurriones, detractores, sine affectione; &c.

Q. 3. *Quanam sunt invidia remedia?*

Resp. Præter orationem sunt hæc 1. Considerare te non ideo minus habere; invidiam invidenti nil prodesse, nam non ideo alter carebit bono, quod tu invides, nec tu illud obtinebis, etiamsi eo careat: quin imò gravissimum inferre malum, privando invidum gratia, ac amicitia Dei, & beatitudine æterna: econtra gaudendo de bono proximi propter Deum, te mereri augmentum gloriæ æternæ, quod est bonum infinito majus omnibus bonis temporalibus. 2. Sæpe gaudere de bono proximi, quia est proximus, quem sicut te ipsum diligere debes propter Deum. 3. Gratificari ei, cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias agere Deo propter beneficia ab eo in ipsum collata, &c. 4. Humilitas, & contemptus gloriæ, ac honoris humani. *Non efficiamur inanis gloria cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. ad Gal. 5.*

ARTICULUS VII.

De Acedia.

Q. 1. *Quid est Acedia, & quale peccatum?*

Resp.

Resp. Acedia latè sumpta est quodvis tædium, seu animi remissio in exercitio virtutum, ob laborem, seu molestiam, ac difficultatem adjunctam. Sic sumpta non est vitium speciale, sed generale: quia (ut ait S. Thom.) omne vitium refugit bonum virtutis oppositæ; estque contra illam virtutem, cujus actus refugit. Est autem peccatum mortale, vel veniale, prout ex illa violatur præceptum in re gravi, vel levi.

Acedia strictè sumpta est tristitia, & tædium de divina amicitia apprehensa ut mala, propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ, & conservandæ per laboriosa virtutum exercitia, & voluptatum illicitarum fugam: unde fit, ut quis amicitiam illam non curet, Sic sumpta est vitium specialiter, & graviter charitati Dei repugnat.

Q. 2. Quanam sunt filia Acedia?

Resp. Sunt. 1. Malitia, qua quis odit bona spiritualia, & vellet ea non esse; aut qua ipsum pœnitet bonum fecisse; aut qua contemnit Dei Beneficium, v. g. cupiendo non agnovisse Christum, non fuisse Religionem Professum, &c. ob difficultates, quæ in Dei obsequio superandæ sunt. Est mortalis ex genere suo. 2. Pusillanimitas, 3. Desperatio. 4. Rancor, qui est indi-

dignatio, & fastidium adversus eos, qui ad virtutum opera, & fervorem inducunt, ideóque eos refugit.

5. Torpor, qui est langor animi, quo bonum, vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum; & semper valde periculosus est, disponitque ad mortale.

6. Evagatio mentis in oratione, aliisve exercitiis spiritualibus. Mortalis est in oratione, vel exercitio spirituali graviter præcepto, si in parte notabili voluntariè duret: venialis verò in oratione non præcepta, nisi sit circa objecta graviter illicita, quæ placeant.

Q. 3. Quanam sunt acedia remedia?

Resp. Præcipua sunt oratio, omnia Religionis, & pietatis exercitia; quotidiana meditatio rerum Cœlestium; laborum, ac Passionis Christi, & Sanctorum, perfectionum, ac Beneficiorum Dei, præmiorum fervidæ Charitatis, brevitatis laborum, æternæ beatitudinis, damnorum temporis, &c. lectio librorum spiritualium; quotidiana auditio Missæ, frequens Confessio, & Communio cum debitis dispositionibus; temperantia, fuga otii, macerationes carnis. &c.

TRAC-